



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Regimine Ecclesiae Episcopalis In Octo Libros Distributus

Antonelli, Giovanni Carlo

Velitris, 1650

§. IV. An transactio de re ecclesiae possit fieri sine solemnitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11401

ris, qui attendere debet consuetudinem locorum, & quantitatem rei, quæ alienatur iuxta cap. ceterum de Donat. item conditionem ecclesiæ, si est tenuis, vel multum abundans, & qualitatem temporum, & rerum Quarant. ubi supra nu. 41. Genouens. in Prax. d. cap. 60. num. 3. Ricc. in Prax. for. eccles. p. 1. ref. 36. vnde obseruat Barbof. d. par. 3. all. 95. nu. 51. quod modicum potest esse vsque ad 50. aureos, alibi vsq. ad 20. & alibi vsq. ad 10. & etiam minus respectu qualitatis, & conditionis locorum, & ecclesiarum.

§. III.

An in permutatione rerum vnius ecclesiæ cum bonis alterius ecclesiæ sufficiat decretum Episcopi.

7 **A**ffirmatiuè respondent Doctores apud Barbof. d. all. 95. num. 55. & seq. tum quia hic casus est à iure permissus in cap. 1. de Reb. eccles. alien. tum quia textus in d. extrau. Ambitiose videtur loqui de permutationibus faciendis cum laicis, vt colligitur ex illis verbis, *prophanis visibus applicare*, & hoc casu non transfertur dominium in prophanos vsus, & ita etiam tenet Vulp. in Prax. for. eccles. cap. 6. num. 15. vbi dicit, validam tunc esse permutationem, si pro vtriusque ecclesiæ commoditate fiat Ricc. in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 35. & 71. vbi hanc sententiam admittit etiam in alienatione rei vnius ecclesiæ alteri facta.

8 Sed quidquid sit de iure, contrarium in praxi seruatur, nam si agitur de summa notabili, recurritur pro licetia ad sedem apostolicam, vt d. Quarant. loc. cit. n. 15. Barbof. ubi sup. nu. 57. in fin. Ricc. d. ref. 35. & 71. in fin.

§. IV.

An transactio de re ecclesiæ possit fieri sine solemnitate.

9 **A**ffirmatiuè respondent Doctores, modò sit de re dubia, cum euidenti ecclesiæ vtilitate, & possessio non sit penes ecclesiam, nam si per transactionem ecclesiæ rem relaxaret, in cuius possessione existit, tunc proculdubio solemnitates requiruntur, vt post Rebuff. & Roland. d. Quarant. in ver. alienatio, numer. 43. vers. Duodecimò limita Ricc. in Collect. dec. 3054. par. 7. & in Prax. for. eccles. par. 1. ref. 43. & alij apud Barbof. d. all. 95. num. 63. quod intellige, dummodò accedat etiam consensus Episcopi, qui cognoscere debet de euidenti ecclesiæ vtilitate iuxta c. Statuimus de transact. alias huiusmodi transactio non ligaret successorem, vt d. glos. communiter recepta in cap. veniens ver. inter a ios eod. tit.

10 Alij verò distinguunt, aut agitur de modica summa, & tunc in transactione sufficit auctoritas Episcopi, aut agitur de summa notabili, & tunc requiritur beneplacitum sedis Apostolicæ, vt constat ex d. c. veniens. de Transact. & ita practi-

cari dicit Quarant. ubi sup. n. 43. in fin. presertim. si in huiusmodi transactione remittantur iura, & actiones ad immobilia Ricc. in Prax. for. eccl. p. 3. ref. 163. Barbos. d. p. 3. all. 95. n. 46. ubi cit. Menoc. Valasc. & alios.

- 11 Ex quo resoluitur aliud dubium, an Rector ecclesie possit cedere actionem ad rem mobilem? in quo pariter distinguendum est, nam si huiusmodi actio competit ad rem mobilem, quae seruando seruari non potest, tunc Rector potest actionem cedere, quemadmodum posset rem ipsam distrahere: aut verò actio competit ad res mobiles, quae seruando seruari possunt, & tunc non potest absq. beneplacito sedis Apostolicae, modò sint notabilis valoris Ricc. in Prax. par. 3. ref. 163.
- 12 Idem dicendum de compromisso, nam si illud fiat de rebus immobilibus, vel quae seruando seruari possunt, non valet sine sedis apostolicae beneplacito, quia compromissum est species alienationis: secus si fiat de rebus, quae seruando seruari non possunt iuxta ea, quae supra diximus, & notat idem Ricc. in Prax. d. p. 3. ref. 165.
- 13 Sed quid, si ecclesiae competit actio ad fundum, vel ad pecuniam alternativè? Resp. quod aut electio est ipsius ecclesiae, & tunc sine licentia sedis apostolicae non potest ecclesia cedere, ac si ipsa actio ad immobilem peteret: vel electio est debitoris, & tunc inspiciendus est finis, nam si ecclesiae debitor soluet pecuniam, valet cessio, si verò confignet praedium, non valet, Birt. in l. si sic legatum §. ult. n. 6. ff. de leg. 1. & in l. si ex legati causa

nu. 6. ff. de verbor. oblig. idem Ricc. loca cit. d. ref. 163. ubi alios refert.

S. V.

An Alienantes, vel recipientes res exigui valoris incidant in censuras, & poenas extr. ambitiosa.

14 **R**esp. negativè, quia cum d. extr. sanciverit poenas, & censuras contra alienantes res ecclesiasticas maioris valoris inconsulto Rom. Pont. non debet extendi ad bona exigui valoris, poenae enim sunt restringendae, non ampliandae ita Ricc. in Prax. for. eccl. p. 2. ref. 383.

S V M A R I V M.

- 1 Reus confugiens ad ecclesiam, inde extrahi non potest, & n. 2, 3. & 4.
- 5 Quid si reus ligatus à ministris Curiae ad ecclesiam confugiat, vel ab ea blanditijs, aut promissionibus educitur.
- 6 Ecclesia tenetur reo confugiens ad ecclesiam alimenta subministrare, si non habeat unde vivat.
- 7 Non licet Curiae seculari ponere custodes circum circa ecclesiam, nè ad reum alimenta deseratur.
- 8 Reus dum existit in ecclesia non potest de iure damnari ad mortem, vel aliam poenam corporalem.
- 9 Contrarium de consuetudine servatur.
- 10 Ecclesia etià non benedicta gaudet immunitate.
- 11 Eadem immunitate gaudet locus omnis diuini officij, dedicatus auctoritate Episcopi.
- 12 Ecclesia polluta, aut interdicta immunitate gaudet.
- 13 Item Ecclesia diruta, dummodo subsit spes refectionis.
- 14 Eadem immunitate gaudet Coemeterium.
- 15 Item ostium, & porticus coemeterij.